



D. Gerhanli Titij Dogmatica.



*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



INDEX Disput: D. Gerhardi Titij

- I. D. G. Titij theses Theol. Christianae fidei *etiam breuiter complexa*
- II. De Insufficiencia Religionis merè naturalis ad consequendam vitam post hanc meliorem, et necessitate revelationis *divinatum supernaturalium contra Herbertum.*
- III. De sufficiencia S. Scripturae seclusis traditionibus Pontifici *orum.*
- IV. De principio fidei Chr. Sacra Canonica Scriptura.
- V. De S. Scriptura ad militantis Ecclesiae plenam informationem *apta perfectione, et traditionibus Pontificiorum.*
- VI. De Perspicuitate S. Scripturae, ejus interpretatione, et *lectione omnibus permittenda.*
- VII. De verbi Divini *AVOENTIA* *et Lunde*
- VIII. De Sanctissimo Trinitatis mysterio.
- IX. Theopaschitarum haeresis, ejusq. Refutatio
- X. De Jesu Christi mundi Salvatore.
- XI. De Divinitate Christi contra Socinianos.
- XII. De Divinitate Christi Fausto Socino ejusq. asseclis *opposita.*
- XIII. De merito Christi pro omnibus et singulis hominibus *praestito adversus Calvinianos.*
- XIV. De univrsali Redemptione omnium et singulorum hominum, *facta per Christum de Ardgartor*
- XV. De homine ad imaginem Dei condito, ejus lapsu et conditione *post lapsum.*
- XVI. De Angelis.
- XVII. De Meritis operum.
- XVIII. An homo nondum renatus in Actionibus merè spiritualibus *palleat libero arbitrio.*
- XIX. De Justificatione hominis peccatoris coram judicio *Dei* *et Sebast. Nienau.*

- XX. De gratuita Justificatione hominis peccatoris coram  
iudici Dei.
- XX. De Fide Justificante
- XXI. De Auxiliis divinae gratiae tam ad conversionem  
quam perseverantiam in fide et sanctitate necessariis
- XXII. De aeterna quorundam hominum electione ad vitam  
aeternam, et reprobatione quorundam ab eadem.
- XXIII. De Pactis Levali et Evangelio quae Deus cum totoge-  
nere humano in protoplastis inquit.
- XXIV. De Praedestinatione Credentium ad vitam aeternam,  
et reprobatione incredulorum.
- XXV. De Praedestinatione.
- XXVI. De ministris Ecclesiae.
- XXVII. De Magistratu et rebus civilibus.
- XXVIII. De Peccato eiusque differentiis atque causis.
- XXIX. De Peccatorum culpa et reatu.
- XXX. De errore Flacii circa peccatum originis.
- XXXI. De Ecclesia.
- XXXII. De Ecclesia & M. Hackemann
- XXXIII. De Poenitentia
- XXXIV. De Poenitentia & M. Moriger
- XXXV. De Poenitentia et Absolutione sacerdotali.
- XXXVI. Doctrina Sacramentorum N. T.
- XXXVII. De Sacramento Baptismi.
- XXXVIII. De sacro S. coena Domini
- XXXIX. D. Gerh. Titii Responsum Joh. Vorstij verbus Epistolae  
cum continuatione Responsi Joh. Vorstij poster. Epistolae
- XL. De Papistico missae Sacrificio
- XLI. De Regimine sacro et civili disp. Theologico-  
politico

- XLII. De Perseverantia Sanctorum contra Reformatos.
- XLIII. De quatuor novissimis.
- XLIV. De Morte et Christiana preparatione ad mortem.
- XLV. De statu animarum separatatum.
- XLVI. Vindicatio Augustanae Confessionis contra Bellarminum.
- XLVII. De Christiana morum doctrina.
- XLVIII. De Conciliis.
- XLIX. De miraculis
- L. Pitzli Putzli destructio fundamentorum et.
- LI. In qua loca nonnulla Epitomes Theologiae S. Calixti proponuntur et declarantur.
- LII. Diss. Meth. de simplicibus Entis affectionibus, uno, vero, bono, huiusq; conato perfecto.
- LIII. Oratio de gravissimis corruptelis quibus in Occidente Ecclesia Christi, ultimis et sequioribus praesertim seculis est oppressa.
- LIV. Programma quo S. S. Th. Studiosi in Acad. Julia ad auseultationem Epistolae Paulinae ad Romanos invitantur.

n.  
um.  
pon  
ono,  
le.  
culis  
id  
vin





9.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
EXHIBENS  
THEOPASCHITARVM  
HÆRESIN, EJUSQUE REFU-  
TATIONEM.


Q U A M  
D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO  
GERHARDI TITII,  
S.S. THEOL. D. ET PROFESS. P.  
ORDINARIJ,  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA

DIEXVIM. MARTII  
PUBLICE VENTILANDAM PROPONIT  
JOHANNES ERNESTUS *Stillen/*  
LÜCHOVIO-LUNEBURGICUS  
AUCTOR.

HELMESTADII,  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO  
Excudit HENNINGUS MULLERUS, Acad. typ.

ANNO MDCLXI.



VIRIS

PER QVAM REVERENDIS, NOBILIS-  
SIMIS, EXCELLENTISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS

CONSISTORII ECCLE-  
SIASTICI, QVOD HIL-  
DESIÆ EST, CONSILIA-  
RIIS MERITISSIMIS,

Dominis Meccœnatibus, Patro-  
nis ac Promotoribus omni obsequio  
æternum demerendis,

*Exercitium hoc Theologicum in sui Sta-  
diorumq; suorum commendationem*

D. D. D.

JOHAN. ERNEST. Stillen  
AUTOR.



IN NOMINE JESU!

DE THEOPASCHITARVM  
HÆRESI BREVIS EXER-  
CITATIO.

THESIS I.

**S**I ullus unquam fuit fidei Arti-  
culus, in quem virus suum præfractæ  
mentis homines evomuerunt, certè est  
articulus de mysterio S. S. Trinitatis;  
illum enim non nostrò solùm ævò op-  
pugnârunt, & adhuc oppugnant Aria-  
ni, Photiniani, Weigeliani &c. verùm  
etiam statim post Apostolorum tempora in dubium fuit vo-  
catus. Primò enim seculò post Christum natum, contra  
hunc articulum insurrexerunt *Ebion* & *Cerinthus*, Christum  
nudum hominem fuisse docentes, contra quos etiam Johan-  
nes, teste Hieronymò, suum consignavit Evangelium. B.  
Horn. Dispp. Theol. part. 2. Disp. 1. sect. 2.

II. Seculò secundò eundem errorem disseminavit  
*Carpocrates*, item *Theodotus Byzantius Coriarius* & alij plures.

III. Initiò quarti seculi secutus *Arius*, divinitatem  
Christo detraxit cum *Cerintho* & *Ebione*, hoc tamen inter il-  
los fuit discriminis, quod *Ebion* & *Cerinthus* statuerint Chri-  
stum, antequam ex B. Maria nasceretur, non exstitisse (quam  
sententiam adhuc alunt Photiniani) *Arius* autem, quod ante



Mariam quidem extiterit, Deumque esse, tamen creatum, & Deum factum, & per consequens creaturam. Idem de spiritu S. primus omnium sensit seculò tertiò *Macedonius*, qui etiam illam ob causam in Concilio Constantinopolitano I. à 150 Episcopis est damnatus.

IV. Seculò septimò delirare cœpit *Iohannes Grammaticus Philoponus*, unus ex Græcis interpretibus Aristotelis, qui ut tres personas, ita & tres Deos esse statuit, quod olim etiam *Peratas* putasse, autor est *Theodoretus*, libr. I. *hæretic. fabular.*

V. Et quis omnia enumerare valet deliria, quæ malè sanis istis *Satanas* inspiravit? unum tamen adhuc memoremus, de quo in præsentī nostra erit Disputatio. Sub initium nimirum Seculi tertij exorti sunt, qui jam jam dictæ sententiæ planè fuerunt contrarij, & non tantum tres Deos, sed & tres distinctas in Deitate personas negârunt. Horum primus fuit *Praxeas*, qui ipsum Patrem descendisse in virginem Mariam, docuit, ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse *Jesus Christum*, sicut id testatur *Tertullianus* lib. advers. *Prax.*

VI. Clarior autem quò fieret ipsius mens, addidit exempla. Primùm petiit ab attributis divinis; sicut, inquit, idem & unus Deus nunc sapiens, nunc justus dicitur, & tamen non plures sunt Dij, licèt plura sint attributa: ita quoque, licèt plura sint nomina: unus tamen tantum est Deus, & non nisi una persona Divinitatis. Alterum sumpsit à creatura Dei, homine sc. Et sicut, inquit porrò, in uno homine est corpus, anima & spiritus: sic in Deo quoque esse Patrem, Filium, & Spiritum S., & non nisi ratione distingui. Vid. *Chemnit. Locor. Theol. de Tribus Personis Divinitatis* p. 35. edition. *Witteberg.* in Fol.

VII. Hunc *Praxeam* postea secuti sunt *Hermogenes*,  
*Noëtus*,

Noëtus, Ephesus & Noëti discipulus Sabellius, cujus (Sabellij) mentem sic recenset B. Chemnitius Loc. de spiritu S. p. 96. Sabellius, inquit, unam tantum esse personam divinitatis contendit, quæ sit & vocetur Pater, quando homines paterno affectu complectitur & beneficiis prosequitur. Eandem personam, quando visibili specie versatur cum hominibus, loquens cum illis, esse & vocari Filium. Et illam eandem personam, quando accendit novos motus in cordibus credentium, esse & vocari Spiritum sanctum. Dicti sunt hi à veneranda antiquitate THEOPASCHITÆ & PATRIPASSIANI. August. lib. de Hæres. ad quod vult Deum hæc. 41. Tertullianus libro contra Praxeam Cap. 1. Praxeam Patrem (etiam) crucifigit.

IIX. Ne autem quis putet, diabolicam hanc doctrinam ad orcum, unde caput certè extulit, rediisse, apponam huc verba Valentini Weigelij, qui, ut genuinus discipulus Praxæ, Sabellij & aliorum, illam ab inferis qf. mutuatur & pro virili recens defendit. Verba ejus in Theologiâ sua c. 8. Citante Joanne Crocio in Anti-Weigelio c. 2. quæst. 8. p. 116. hæc sunt: Nach dem himlischen Wesen ist Gott Vater/Sohn und heiliger Geist nur ein Gott / doch geeiniget / was für der Vernunft in der zeit getheilet / ist dem menti in der Ewigkeit geeiniget / und seynd alle Drey ein Gott / Allmächtig / Ewig / da ist der Vater selbst der Sohn und heiliger Geist / der heilige Geist ist selbst der Vater und Sohn / und der Sohn selbst der Vater und heiliger Geist. Quis magis Theopaschitis patrocinari potest, quam idem hic Weigelius? Cum itaque non tantum notitia, sed etiam refutatio dictæ hæreseos multum adferat commodi, placuit inde brevem de hoc errore disquisitionem elaborare, Faxit DEUS ut omnia cedant FELICITER!

IX. Ordine autem rem ut tractemus, omniaque clarè unicuique ut constent, operæ pretium esse ducimus, Di-

sputatiunculam hanc in quatuor ut dispescamus membra.

I. Ostendemus, *tres realiter distinctas in Deitate esse personas.*

II. *Non tantum Patrem, sed unamquamque in illa personam, verum esse Deum.*

III. *Mediam inter has personam, nempe FILIUM, assumfisse humanam naturam, mediam esse passam, esse mortuam, non Patrem, neque Spiritum S. vel totam Trinitatem.*

IV. *Argumenta Theopaschitarum primaria examinabimus, & refutabimus.*

X. Hæc membra si quis benè observat, non tantum Theopaschitas, sed & omnes fermè supra enumeratos errores, præcipuè autem *Arianos & Photinianos* refutare valet, quæ ultimæ duæ hæreses adhuc hodiè regnant, & quamvis Ariana melius se tueri possit ipsâ Photinianâ (refutatis enim Arianis, refutati etiam sunt Photiniani, ast non contrà) tamen seculò superiore, hæresis Photinianorum, Arianorum dogma oppressit, ut ingenuè, ipse Socinus, *Disp. de Existenti. Unigeniti Filij Dei*, fatetur.

XI. Primò igitur, ne frustra contra *Patripasianos* disputemus, ostendendum nobis erit, realem in Deitate esse distinctionem. Frustra enim cum illis disputabit, qui primò omnium contra illos probabit Patrem esse Deum, Filium esse Deum, & Spiritum S. esse Deum (quæ scilicet illi omnia concedere possunt) sed ante omnia probet necessum est, Filium à Patre, & Spiritum S. ab utroque non solo nomine, sed re ipsâ etiam, & suppositò differre. Id autem fieri potest his sequentibus rationibus (i.) quia Pater dicatur genuisse Filium Psal. 11, 7. Filius vero à Patre genitus item unigenitus à Patre Joh. I, 14. *Filius unigenitus qui est in sinu Patris* vers. 18. *Filius Dei unigenitus* cap. III, 16. Spiritus S. vero missus à Patre & Filio, Joh. xv, 26. Argumentum in forma potest esse hoc:

Gignens

Gignens & genitus non possunt esse unum & idem ( eodem scil. respectu, eodemque modò) Deus Pater in Scriptura dicitur gignens, Filius autem genitus E. non possunt esse unum & idem. Major patet, si enim gignens & genitus essent unum & idem, sequeretur hoc, quod Pater se ipsum genuerit, sitque sui ipsius Pater, Filius à se ipso sit genitus, sitque sui ipsius Filius, quæ manifestissima est contradictio. Minor patet ex jam allatis dictis. Vel, clarius fortassis: O. gignens ( quando nimirum gignit) alius est à genito. Deus Pater est gignens, Filius autem genitus. E. Pater alius est seu distincta persona à Filio, & Filius alius & distincta persona à Patre. Eadem ratio est de Spiritu S.; Spiritus S. enim dicitur missus, O. missus autem diversus sive distinctus est à mittente. Spiritus S. dicitur missus. E.

XII. (II.) Dans & accipiens inter se differunt; Pater & Filius in divinis se habent ut dans & accipiens. E. Major suâ luce radiat. Minor est Scripturæ Joh. v, 26. *Sicut, Pater habet vitam in se ipso, sic dedit Filio vitam habere in se ipso.*

XIII. (III.) Quod Scriptura de Patre, Filio & Spiritu S. tanquam de tribus realiter distinctis loquatur v. c. 2 Cor. XIII. v. ult. *Gratia Domini JESU CHRISTI, & charitas DEI, & communicatio SPIRITVS S. sit cum omnibus vobis,* 1 Joh. v, 7. *tres sunt qui testimonium perhibent in cælis, PATER, VERBUM & SPIRITUS S.* Joh. XIV, 16. *EGO rogabo PATREM & ALIUM PARACLETUM dabit vobis* Matth. XXIIX, 19. *baptizate omnes gentes in nomine PATRIS & FILII & SPIRITVS S.* Tautologiam enim committeret Christus, si Pater, Filius & Spiritus Sanctus nuda tantùm essent nomina & non simul realiter diversa, quando discipulos jubet in hisce nominibus baptizare, planè ac si quis diceret; saluto te à Marco, & Tullio, & Cicerone.

XIV.

XIV. (iv.) Si non realis foret distinctio Patris, Filij & Spiritus S. tum multa sacræ Scripturæ dicta absurdū & monstruosum habitura essent sensum v. c. quando Eph. II. 18. dicitur *per ipsum (Filium) habemus accessum ad Patrem, in uno Spiritu*, esset ac si diceres: *per Marcum habemus accessum ad Tullium in Cicerone* Vid. Epitom. Calixtina *de unitate essentiae & trinitate personarum*; item Excell. Joh. Musæus *Disput. III. de Deo Triuno* §. 10. usque ad §. 13. inclusivè.

XV. Confirmatâ sic reali personarum Distinctione, ad alterum nunc descendemus membrum, probabimusque *Unamquamque personam in Deitate verum esse Deum*. Quò pacto tacitè quasi occurrimus *Theopaschitarum* Objectioni, quæ ex sententia Ariana possit esse hæc: Concedam licet tres distinctas divinas esse personas, unaquæque tamen persona non potest esse verus Deus, aliàs tres essent veri Dij: Jam autem scimus ex sacro nostro codice, Deum ipsum esse passum, *Dominum gloriæ esse crucifixum* 1. Cor. II. 8. Utique ergò sequitur, Deum Patrem esse passum, esse crucifixum, cum præter Patrem nemo queat esse Deus. Necessè igitur erit, ut hoc alterum nostrum Disputationis membrum certis fundamentis stabiliamus.

XVI. De Patre labore superfedere possumus, cum ipsi Theopaschitæ solum hunc, verum & summum Deum esse, contendant. Proximum igitur erit, ad secundam personam, ad Dei Filium, nos ut convertamus, eumque verum Deum esse probemus.

XVII. Varij autem variè illud probant, Nos retinebimus hîc probationem, quam ante biennium Venerabilis Dn. Præses in Collegio quodam privato nobis exhibuit, illam vero huc, sed *ἐν ἐπιτομῇ*, apponere, & quodammodo meam facere licebit.

XIIX. Ad obtinendum illud septem Argumentorum classes

classes constituit, è quibus præcipua tantum & ad scopum nostrum necessaria excerpemus. Prima desumitur ab *appellatione & titulo Dei*. Sic enim Apostolus Rom. xi. 5. *quorum, Iudæorum, sunt Patres, ex quibus est Christus quoad carnem, qui est supra omnia DEVS BENEDICTVS IN SECVLA*, in quo loco Paulino Christus non tantum vocatur *Deus*, sed *Deus supra omnia benedictus in secula*. Quam descriptionem uni & soli Deo propriam esse, patet è locis parallelis Rom. i. 25. *seruierunt rebus creatis præterito creatore, qui est BENEDICTUS IN SECVLA* 2. Cor. xi. 31. *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi BENEDICTUS IN SECVLA*.

XIX. Falsus hic est Erasmus, qui post voces *quoad carnem* punctum statuit, cætera autem verba novum sensum vult auspicari h. m. *è quibus est Christus quoad carnem. Super omnia Deus, videlicet Patet, sit benedictus in secula*. Aliquid humani, inquam, passus est, licet summus aliàs fuerit vir, & divinitatem Filij Dei non negaverit, (à cujus criminis, quod Iesuitæ ei passim impingunt, *suspensione satis superq; eum liberare explicationem primi Capit. Evangelij secundum Iohannem*, censet Baudius Centur. ii. Epistol. ii. de Erasmo peculiariter scriptâ) quia Erasmi hęc lectio est contra unanimem codicum fidem. Vid. Horn. Disp. Theol. 4. Sect. 2. de S. Trinit. Pers. §. 35. præterea supervacanea facit illa præcedentia verba *quoad carnem*; Si enim in sequentibus non debuit sublimioris naturæ mentio fieri, plane impertinenter *esse ex Patribus*, addita est restrictio *quoad carnem*, id enim de sese & nemine indicante notum est, quoad carnem ex Patribus ortum trahere, qui quidem ex hominibus tantum ortum trahit.

XX. Eandem lucem adfert nobis locus I. Ioh. v. 20. *Scimus Filium Dei venisse & dedisse nobis mentem, ut cognos-*

B

scamus

scimus verum illum, & simus in vero illo, in eius Filio Iesu  
Christo ἴσως Ἰησοῦ ὁ ἀληθινὸς Θεός. Hic est verus ille Deus & vi-  
ta aeterna. Filioli cavete vobis ab Idolis. Ubi particula ἴσως  
postulat, ut verba illa sequentia ad Christum referantur,  
quin, statim etiam additur: & vita aeterna, ita verò pecu-  
liariter in scriptura, praesertim apud Iohannem, vocatur  
Christus, non Deus Pater Joh. xiv. 6. Ego sum via illa, ve-  
ritas & vita (aeterna) & 1. Epist. c. I. 2. annunciamus vobis vi-  
tam illam aeternam, qua erat apud Patrem.

XXI. Nec minoris claritatis est locus Ioh. xx. 28.  
ubi Christus expressè vocatur Deus, quando Thomas  
Dominò ipso conspectò & contrectatò ait: Domine mi &  
Deus mi. Quæ verba minimè sunt præ admiratione excla-  
mantis, sed Christum, qui ei loquebatur, compellantis.  
Non credibile est, Christum sine contradictione Dei titu-  
lum sibi tribui passurum fuisse, si talis non fuisset; nec ho-  
mo Judæus, qualis Thomas erat, cultui unius veri Dei  
deditissimus, alium aliquè, quem Deum esse non crede-  
ret, pro Deo suo agniturus fuisset.

XXII. Plura, si hæc non sufficerent, possent ad-  
jici loca, illa verò desiderans, adeat B. nostrum Horne-  
ium Disp. iv. Sect. 2. de S. Trinit. Pers. in divinis §. 31. &  
seqq.

XXIII. Secunda Argumentorum Classis sumi potest  
ab appellatione Filij, & quidem geniti, unigeniti, soligeniti,  
propriij. Quicumque jam Filius alicujus est, & quidem  
genitus ex aliquo, is non potest non genitori suo esse ἐμο-  
ύσως. Huc jam faciunt loca Scripturæ (1) Ps. ii. 7. Filius  
meus es tu, ego hodie genui te, quæ verba explicantur de  
Christo Act. xiii. 33. Hebr. i. 5. Christus itaque est ille Fi-  
lius Dei, cui Pater dixit, ego genui Te. Eo magis autem  
Deitas Filij nobis quò innotescat, prædicantur in fine  
Psalmi

*Psalmi beati omnes, qui credunt in illum, Filium, cum e on-  
tra, qui in aliquo mero homine, & non in Deo, confidunt, ex  
ore Dei sunt maledicti. Ier. xvii. 5.*

XXIV. (II) Ioh. I. 14. *Filius unigenitus à Patre.* Filius  
ergò Patri erit *ὁμοῦσι*. Contra hæc dicta posset quis exci-  
pere h. m. Impossibile esse Deum manere unum in essen-  
tia, & tamen gignere Filium, aut enim partem ei essentia  
communicaverit, aut totam essentiam. Non partem,  
quia essentia divina partes non habeat, nec totam, quia  
una numero essentia singularis tota, non possit esse in  
duabus distinctis personis. Verū verbo respondemus, totā  
essentiam Filio esse communicatam, nec valet ratio,  
quæ tantum procedit in humanis & finitis rebus, non au-  
tem in divinis.

XXV. Tertia Argumentorum Classis petitur è locis,  
in quibus Filius docetur Patri suo esse æqualis, adeoque  
*ὁμοῦσι*. Sic legimus Ioh. v. 18. *Propterea ergo magis Iudæi  
studebant eum interimere, quia non solum solvisset sabba-  
thum, sed & Deum dixisset Patrem suum, æqualem se faciens  
Deo. Ioh. X. 33. Ob bonum opus te non lapidamus, sed ob bla-  
phemiam, quia tu homo quum sis, facis te ipsum Deum.* Has  
Iudæorum accusationes, quia nec Christus ipse, nec E-  
vangelista, qui eas recenset, refutant, cum tamen alibi  
idem Evangelista erroneam opinionem, è Servatoris di-  
ctis perperam acceptis, haustam, corrigere non neglexe-  
rit, ut apparet è locis Ioh. II. 21. & c. XXI. 23. certissimè  
constat, illas vero fuisse consentaneas.

XXVI. Quartam Argumentorum Classem desumimus  
è collatione locorum V. & N. Testamenti. Ubi (I) occurrit  
locus Ps. xcvi. 7. *Incurvate vos ei omnes Angeli.* Totus  
hic Psalmus de Domino & Deo Israelis agit, ut inspici-  
enti patet. Quod verò hîc David de Domino & Deo Israelis

annunciat, id Hebr. 1.6. de Christo dici affirmatur, verba ibi hæc sunt: *rursum autem* (inquit Scriptura) *cum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Christus igitur est Deus ille Israelis.

XXVI. (11) Ps. cii. 26, & 27. de Deo Israelis ita canit David: *antea tu terram fundasti, & opus manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, & tu perstabis.* Omnia iterum de Christo dicta esse docetur Hebr. 1, 20. Cum enim ibi multa alia de eo testimonia allata essent, ita subjicitur: *Et tu initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut vestimentum veterascent --- tu autem idem es, & anni tui non deficiunt.* Argumentum ex h. l. potest esse tale: Ad quem dicitur in Ps. cii. Tu, Domine, terram fundasti &c. is est verus Deus Israelis; Christus est ille, ad quem hoc dicitur, ut hîc testatur Autor Epistolæ ad Hebr. E.

XXIX. Clarè quoque id probant Prophetiæ Esaiæ & Malachiæ de Iohanne baptista, ita enim de eo scribitur Es. xl. 3 *vox exclamans in deserto: Parate viam Domino, complanate in solitudine semitam Deo nostro* Malach. iii. v. 1. h. m. *Ecce, ego mitto legatum meum & complanabit viam ante faciem meam.* Quod hæc verba de Iohanne viam Christo paraturo prædicta sint, passim in Evangelio traditur. Et locus quidem Esaiæ de eo allegatur Matth. iii. 3. Luc. iii. 4. ipse verò Ioh. i. 23. de se ait: *Ego sum vox clamantis in deserto, complanate viam Domini, prout dixit Esaias Propheta.* Locus Malachiæ citatur Matth. xi. 10. Utraque Prophetia conjungitur Marc. I. 2. & 3. E quibus strui potest hoc Argumentum. Cujus antecambulo erat Ioannes baptista, cuique viam parandam esse tum clamabat, tum ipse parabat, is est Dominus & Deus Israelis. At Christi antecambulo erat Ioannes, eique viam parandam esse clama-

clamabat & ipse parabat. E. Major Argumenti ex dictis allegatis manifesta est; nec minus certa est Minor, ut ex omnium Evangeliorum exordijs notum est. Conclusio ergo non potest negari.

XXIX. Quintam Classem depromimus ex attributis divinis, aeternitate potissimum, Omnipotentia & Omniscientia. Ubi de aeternitate hoc notandum, Scripturam durationem, omni principio & fine carentem, solere circumlocutione tali aut simili proponere: *priusquam montes fierent ac formaretur terra* Ps. xc. 2. *Prov. ix. 22. antequam jacerentur fundamenta mundi* Eph. i. 4. *antequam mundus conditus est* Ioh. xvii. 5. *à seculo* Ps. xc, 2. Jam vero Christus sic describitur, quod fuerit *à seculo* Mich. v, 2. *egressus ejus ab initio, à diebus seculi*, ubi egressum significare nativitatem patet inde, quia in eodem versu egressus è Bethlehem significat nativitatem, sicut explicatur Matth. ii. 4, 6. Christus dicitur gloriam habuisse *ante conditum mundum* Ioh. xvii. 5. Sapientia Dei (intellige Christum I. Cor. I. 30.) dicitur fuisse *antequam orbis conderetur* Prov. ix. 22. & seqq. Verbum (Filius Dei) dicitur *in principio fuisse apud Deum, & omnia per illud facta esse, ipsum quoque mundum* Ioh. i. v. 1 & 3. fuisse *ante omnia visibilia & invisibilia* Coloss. i. 16. Christus itaque sive Filius Dei, utique fuerit aeternus, adeoque verus Deus, cum periphrasis aeternitatis ei tribuatur: nec alio quàm hoc ipso modo Patris ipsius aeternitas soleat circumscribi.

XXX. Aeternitatem sequitur Omnipotentia. Hæc tribuitur Christo Apoc. i. 8. *Ego sum A & O principium & finis, dicit Dominus qui est, qui erat & qui venturus est, ille, inquam, Omnipotens.* De Christo hæc verba loqui docet & contextus & collatio y. 17, 18 & c. ii. 8. & denique quod cap. ult. v. 13. priora illa: *ego sum A & O, principium*

B 3.

& finis,

& *finis*, Christus ipse sibi tribuat, posteriora autem, Omnipotentiam sc. Ioh. v. 19. cum ait: *quacumq; Pater facit, hac etiam Filius pariter facit.* Si autem omnia, quæ Pater facit, ea pariter Filius facit, omnipotens sanè est ut Pater.

XXXI. *Omnipotentia* subjungimus *Omniscientiam* & *corda scrutandi facultatem*, quam soli Deo competere docet locus 2. Paralip. vi. 30. *Tu Deus solus nosti cor filiorum hominis.* Ierem. xvii. 9. *Ego Dominus & cor perscrutor & renes exploro.* Hanc facultatem iterum sibi tribuit Christus Apoc. ii. 23. *scient omnes Ecclesia, quod ego sum qui scruter renes & corda &* Ioan. ult. 17. dicit Petrus ad Christum: *Domine tu omnia nosti.*

XXXII. Sextam Argumentorū Classē petimus ab *operibus soli Deo proprijs*: duo tantum hīc adducamus, *Creationem rerum omnium & conservationem earundem.* *Creationem* (quæ iterum soli & vero Deo propria) competere Christo, patet ex c. i. Ioh. v. 1. 3. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, eratq; illud verbum Deus. Omnia per ipsum facta sunt, & absq; eo factum est nihil, quod factum est.* Et paulo post vers. 10. *mundus per ipsum factus est.* Mirificè hic locus exagitat Photinianos, eapropter hoc illustre testimonium ut cludant, mirabili quadam metamorphosi textum hunc, aliàs satis clarum, pervertunt h. m. *in principio* (prædicati Evangelij) *erat sermo* (orator) & *verbum* (orator hic) *erat apud Deum* (subiectus ante suum ministerium in cœlum, ut ibi à Patre suo cœlesti instrueretur) & *verbum erat Deus* (quatenus divino robore, sapientiâ, imperio & potestate omnibus, quibus vellet, divino modo benefaciendi præditus erat) *omnia* (quæ in Evangelico negotio, & in hac mundi renovatione facta sunt) *per sermonem*, sive non sine sermone hoc, *facta esse.* Quæ iniqua detorsio textus refutatione est indigna, sed illam enumerasse, est refutasse. XXXII.

XXXII. Rerum omnium Conservationem competere Christo patet ex Coloss. 1. 17. *omnia per eum consistunt* Hebr. 1. 3. *Filius Dei sustinet omnia verbo potentia sua.*

XXXIII. Septimam deniq; Argumentorum Classem sumimus à cultu divino, qui Filio in Scriptura tribuitur. Etsi quidem adoratio in V.T. etiam Angelis & hominibus tribuitur, adeoq; sæpe pro quovis honore capitur; in N. tamē T. cultum soli Deo proprium denotat. Hinc dicit Christus Matth. IV. 10. *Dominū Deū tuum adorabis & illum solum coles.* Et Apoc. XIX. 10. ait Ioannes: *Proci di ante pedes ejus (Angeli) ut adorarem eum, sed dixit mihi, vide ne feceris, conservus tuus sum, Deum adora.* Hunc igitur adorationis cultum, quæ soli & uni Deo propria, Christo competere elucet ex sequentib. hisce locis 1. Cor. 1. 2. Act. IX. 14. Hebr. 1. 6. Philip. 11. 10. Ex hisce nunc facile concludere licet, Christum oportere verum esse Deum.

XXXIV. Et hætenus de divinitate Filij Dei, restat ut paucis agamus de divinitate Spiritus S., in qua probanda tamen erimus breviores, tantumque primaria Argumenta adducemus.

XXXV. (I) Erit hoc, quod Spiritus S. passim proponitur ceu persona divina, dum in eum baptizamur Matth. XXIX. 16, dum actiones intellectus & voluntatis ei tribuuntur Act. xv. 28. *Visum est Spiritui S. & c.* 1. Cor. XII. II. *Distribuit singulis dona sicuti vult* (II) quod expresse Deus vocatur Act. v. 3. *Cur Satan as implevit Cor tuum, ut mentireris in Spiritum S., non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ex quo loco hoc invictum necimus Argumentum. Cui tum temporis præter Apostolos mentitus est Ananias, ille est Deus, Spiritus S. est ille, cui tum temporis præter Apostolos mentitus est Ananias E. Spiritus S. est Deus. (III) quia ei assignatur attributum divinum Omniscientiæ 1. Cor. II. 10. (IV.)

ro. (IV.) Similiter ipsi conveniunt opera divina, qualia  
cum primis sunt *justificatio & salvatio* Tit. III. 5. I. Cor. VI.  
II. *Prædicatio futurorum* 2. Pet. I. 21. *largitio & distributio*  
*donorum spiritualium* I. Cor. XII. II. (V.) Competit ei *cultus*  
*divinus*, adeo ut corpora nostra, quæ membra Christi  
Paulus dicit, idem templum quoque dicat esse Spiritus  
S. I. Cor. VI. 15. & 19. Ex quibus omnibus clarè innotes-  
cit, Spiritum S. non minus ac Patrem & Filium, verum esse  
Deum. Cui enim competunt idiomata & operationes  
verè divinæ, &c. ille verus est Deus. Atqui Spiritui S.  
competunt idiomata & operationes verè divinæ E. Plu-  
ra, qui vult, potest habere in Epit. Calixt. de *Divinitate*  
*Spiritus S.* p. 79 & seqq.

XXXVI. Etsi autem tres realiter distinctæ personæ  
sunt in Deitate, unaquæque etiam persona verus Deus,  
ut hætenus probatum, exinde tamen minimè sequitur,  
tres esse Deos, sed juxta scripturæ dictamen est & manet  
unus Deus. Sic enim legimus Deut. VI. 4. *Audi Israel, Je-*  
*hova Deus noster. Jehova unus est* Es. XLIV. 6. Et I. Cor. IIX.  
6. *Nullus est Deus alius, nisi unus.*

XXXVII. Si tamen quis hic ex me quærat, quo-  
modo hæc simul possent consistere, unum esse Deum,  
tres tamen realiter distinctas personas, & tres realiter di-  
stinctas personas, unam numero habere essentiam. Re-  
spondeo cum S. Hilario lib. II. de *S. Trinitate* p. 8. Editi-  
on. Colonienf: *Ego nescio, non requiro, & consolabor me*  
*tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, secula*  
*non tenent, Prophetæ non sensit, Apostolus non interrogavit,*  
*Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum. Non te, quis-*  
*quis es, qui hæc requiris, revoco in excelsum, non in amplitu-*  
*dinem tendo, non deduco in profundum: nonne æquanimiter*  
*ignorabis creatoris nativitatem, ignorans originem creatu-*  
*ra? Hoc*

ua  
VI.  
butio  
ulcus  
nristi  
ritus  
ote.  
mef-  
tio-  
ai S.  
Plu-  
tate  
onæ  
us,  
ar,  
net  
fe-  
IX.  
uo-  
m,  
di-  
Re-  
iti-  
me  
ula  
it,  
uis-  
tu-  
er  
tu-  
Hoc

ra? Hoc saltem requiro, satisne te genitum, & quæ ex te gene-  
rantur intelligis? Non quero, sensum unde hauseris, vitam  
unde sortitus sis, intelligentiam unde adeptus sis, quale sit quod  
in te est, odor, visus, sensus, auditus. Certè nemo quod facit  
nescit. Quæro unde ista iis, quos generes, indulgeas, qualiter  
sensum inseras, oculos accendas, cor affigas. Hæc si potes enar-  
ra. Habes ergò quæ nescis, & tribuis quæ non intelligis: æ-  
quanimiter imperitus in tuis, insolenter in Dei rebus ignarus.  
Tantum de secundo membro.

XXXIIX. Ad tertium iam etiam Nos accingamus,  
ubi probandum venit, *Filium assumpsisse humanam naturam  
in illaq; passum, non Patrem, neque Spiritum S. aut totam Tri-  
nitatem.*

XXXIX. Vbi, antequam id probemus, notamus  
(I.) hoc, quod verbum Dei caro (homo) factum sit, non  
ac si in carnem aut hominem commutaretur, sed ut im-  
mutabile permanens, naturam humanam susciperet,  
quod patet inde (a) quia Deus commutari in aliud non  
potest, cum prorsus sit immutabilis. (b) ipsa scriptura asse-  
rit, id factum esse non per commutationem, sed *assumptio-  
nem* naturæ humanæ Hebr. II. 16. (c) sequeretur eum post  
assumptionem non amplius Deum, sed purum putum ho-  
minem esse. (II.) quod non accidentaliter tantum natu-  
ram humanam sibi univerit: accidentaliter enim Deus  
homini unitur, quando per gratiam suam in eo habitat,  
sic Spiritus S. dicitur *habitare in nobis* 1. Cor. III. 16. & *Chri-  
stus esse in nobis* 2. Cor. ult. 5. at hoc nondum est assumere  
naturam hominis, nulla enim ibi sequitur communica-  
tio idiomatum, nec potes dicere, hic homo (in quo  
Deus ita habitat) est Deus, sicut de Filio Mariæ dicimus  
juxta Scripturam, hic homo est Deus.

XL. Præsuppositis ita his, ad thesin ipsam proban-  
dam

nam pergimus. Probamus autem illam tribus his fe-  
quentibus rationibus (I) quia nusquam hoc scriptura de  
Patre aut Spiritu S. affirmat, quod scilicet homo factus sit,  
sed tantum de Filio Ioh. I. 14. Tacente autem Scriptura, quid  
nos in re tam sublimi effutire queamus? (II) quia Pater  
dicitur dedisse *Filium*, tum quando ille incarnatus est.  
Ioh. III. 19. (III) quia Filius vocatur minor Patre, Pater  
verò nunquam minor Filio, nec Spiritus S. Hoc autem  
certè non potest intelligi de Filio quatenus Deus, h. m.  
enim *ἰσούσιος* est Patri, dicitur ergo de eo, quatenus ho-  
mo. Si igitur solus Filius est homo, solus Filius etiam  
est passus, quando Deus in scriptura docetur passus,  
non Pater, neque spiritus S. qui, ut Deus tantum & nun-  
quam ut homo simul, propositi, pati nequeunt.

XLI. Dicis forte an: Opera Trinitatis ad extra sunt  
indivisa, h. e. omnibus personis simul competunt; incar-  
natio est opus ad extra E. est indivisa, & per consequens  
toti competit Trinitati. Sed Resp. in incarnatione *ver-*  
*bi* duo spectari posse, *productionem naturæ humanæ*, ejusq;  
cum persona verbi unionem, & *naturæ illius assumptio-*  
*nem*. Productio illa, & effectiva unio, opus est totius  
Trinitatis; tota enim Trinitas, propter unam eandemque  
indivisam & communem Omnipotentiam, produxit &  
effecit naturam illam, quam Virgo Maria in utero con-  
cepit, & postea peperit; sed solus Filius eam assumpsit,  
eique solus unicus est. Gra<sup>W</sup>erus super August. Con-  
fess. Artic. de Christo p. 335. Unde etiam Patri productio  
hæc tribuitur Gal. IV. 4 & spiritui S. Matth. I. 20. Assum-  
tio autem naturæ illius soli Filio competit. Incarnatio  
ergò ratione *efficientiæ* opus est ad extra, & totius Trini-  
tatis, ratione autem *termini*, sive ejus ad quod actio illa  
terminatur, opus est ad intra & solius Filij.

XLII.

XLII. Si autem quæras, cur Filius potius quam Pater aut Spiritus S. incarnatus sit? ex scriptura ad quæstionem respondere non possumus; scriptura enim id non docet. Patres tamen has rationes congruentiæ adferunt (1) ut is, qui ab æterno Filius Dei est, in tempore fieret Filius hominis. (2) qui erat Filius Dei naturalis, faceret nos filios ejus adoptivos. (3) ut qui imaginem & similitudinem Dei per peccatum Adami amiseramus, per veram Dei imaginem illam quodammodo recuperaremus. (4) ut media persona in S. S. Trinitate, mediatrix inter Deum & hominem fieret S. *Athanasius lib. de incarnatione c. 4.* Tantum etiam de tertio.

XLIII. Restat ultimum nostrum membrum, in quo uno vel altero verbo etiam nos expediemus. Argumenta autem illa, quæ proferunt Theopaschita, præprimis autem *Noëtus*, maximam partem Unitatem Dei respiciunt, Deum nimirum esse unum, quod & nos ambabus, ut ajunt, manibus largimur. Sed apponamus præcipua distinctè. (I) Verus Deus non est alius atque alius. Si verus Deus non est alius atque alius, sequitur Patrem, Filium & Spiritum S. non differre realiter, sed nuda tantum esse nomina; Atqui prius est verum E. & posterius. Consequentiam, ut firmam, sine probatione relinquunt. Antecedens probant ex *Eccl. XLIV. 6.* & *1 Cor. II. 4.* (II) *Ego & Pater unum sumus*, ait Servator *Joh. X. 30.* si Filius & Pater unum sunt, sequitur illos non differre realiter; Atqui prius est E. & posterius. (III) *Credite mihi, me in Patre & Patrem in me esse.* *Joh. XIV. 11.* Quicumque est in Patre, non est distincta persona à Patre. At Filius est in Patre. E Quod est Argumentum Sabellij (IV) *Unus saltem nobis est Deus, qui est super omnes, & per omnes, & in*

*omnibus.* Eph. iv. 6. Si unus saltem nobis est Deus, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus, sequitur Christum non posse esse Deum, & per consequens non esse plures unâ personas. Atqui prius est verum E. & posterius.

XLIV. Verum enim verò respondemus paucis ad singula. Ad (i) Antecedens duplicem habet sensum. 1. hunc. Deus non est alius atque alius, aut potius, non est aliud atque aliud, nimirum quoad essentiam sive Deitatem. 2. istum: Deus non est alia atque alia persona. Priori modo antecedens est verum, sicque concedimus totum Argumentum, nec enim ita Pater est alius à Filio, nec Filius à Spiritu S., sed ita sunt unum, Ioh. x, 30. posteriori autem modo antecedens est falsum, ut supra, in membro primo, probatum. Ad (ii) Neg. Conseq. Rectè enim, ut jam dictum, Pater & Filius unum sunt, quoad essentiam nimirum vel Deitatem, & sic nulla est inter illos realis distinctio: non autem unum sunt quoad personalitatem, ut patet ex memb. i., & sic inter illos maximè est realis quædam distinctio. Adde, quod Christus non dicit: ego & Pater *unum sum*, sed *unum sumus*, ad indicandum, se, & Patrem, unum esse Deum, non autem unam personam. Ad (iii) Respondemus verbis *Hilarij*, qui lib. ix *de Trinitate* sic scribit: *Credendus est Pater in Filio, & Filius in Patre, per naturæ unitatem, per virtutis potestatem, per honoris æqualitatem, per nativitatis generationem.* E quibus verbis hoc discimus, Consequentiam in Argumento vacillare; Est enim Filius in Patre per essentiæ identitatem & naturæ unitatem; & tamen distincta à Patre persona, ut ipse Christus alibi docet. Ad (iv) Respondemus, eodem morbo laborare Argumentum hoc, quo prius. Consequentiam nimirum esse nullam. Dicit quidem scriptura, unum esse Deum, ~~ast~~ inde nondum sequitur, Chri-

Christum non esse Deum, unamque tantum esse personam. Dictum nihil aliud probat, quam Patrem esse illum unum Deum, seu, Patrem esse illum Deum, qui unus & solus verus Deus est. Verum minimè ostendit, solum Patrem esse verum Deum. Concedimus igitur, Patrem esse illum unum verum Deum; sed per id non negatur, Filium quoque esse illum unum & solum verum Deum. Non igitur excluduntur reliquæ divinitatis personæ, sed tantum idola & Dij fictitii. Si enim particula *unus* hanc haberet vim, ut possit excludere reliquas in Deitate personas; quid causæ subesset, quin non item I. Cor. ix. 6. eadem particula *unus* excluderet Deum Patrem, ut non sit Dominus, cum Paulus ibi dicit: *nobis unus est Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum.* Plura Argumenta adjicere possemus: sed cum hæc sint primaria, cætera ipsi conflictui relinquemus.

XLV. Postquam ita veram sententiam munivimus, & contra hæreses adductas pugnavimus, adjiciemus locum insignem è *Theodoreto. Hæreticar. fabular. lib. 2.* ubi de Photino agens sic loquitur: *Has omnes hæreses ad evertendam unigeniti divinitatem excogitavit, qui hominum perniciem molitur, Damon. Sed omnes extinxit, qui increpat abyssum, & eam exsiccavit, qui dicit abisso, Fies deserta, & tuos fluvios exsiccabo. Neque enim eorum vel minima manserunt reliquia, non Cerinthianorum, non Ebionitarum, non Elcesarorum, non Melchisedechianorum, non SABELLIANORVM, non Paulianistarum, non Marcellianorum, non Photinianorum. Sed omnia oblivionis tenebris semel tradita sunt, & nec eorum quidem sunt nomina multis cognita. Verum est enim quod de nostro Servatore dictum est: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus celestis, eradicabitur. Divina autem Evan-*

geliorum dogmata pullularunt, & ad mare usq; extensi sunt A-  
postolorum palmites, & propagines terrarum orbem imple-  
rant, & impleta est universa terra cognitione Domini.

XLVI. Finem Disputationi imponimus verbis  
Magni Augustini, quibus ille ultimo ultimi libri de  
Trinitate capiti initium dedit. Domine Deus noster,  
credimus in Te Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Neq;  
enim diceret veritas: ite baptizate omnes gentes in nomine  
Patris & Filii & Spiritus sancti, nisi Trinitas esses. Nec baptizari  
nos juberet, Domine Deus, in ejus nomine, qui non est Dominus  
Deus. Neque diceretur voce divina; Audi Israel, Dominus  
Deus tuus Deus unus est; nisi Trinitas ita esses, ut unus Domi-  
nus Deus esses. Et si tu Deus Pater, ipse esses & Fili-  
us verbū tuum Iesus Christus, ipse esses & donum  
vestrum Spiritus Sanctus, non legeremus in li-  
teris veritatis: Misit Deus Filium suum. Nec  
tu, o unigenite, diceret de Spiritu Sancto: Quem  
mittet Pater in nomine meo: &, Quem  
ego mittam vobis a Patre.

**Apoc. v. 13. SEDENTI IN THRONO, ET AGNO, SIT  
BENEDICTIO, ET HONOR, ET GLO-  
RIA, ET ROBUR, IN SECU-  
LA  
SECU-  
LORUM.**

**F I N I S.**

S. Polycarpi Confessio SS. Tri-  
nitatis apud Eusebium lib. 4.  
histor. cap. 15.

**P**ater dilecti ac benedicti filii tui Iesu Christi,  
per quem cognitionem tui accepimus, Deus  
angelorum ac virtutum omnisq; creatura, & o-  
mnis generis justorum, qui vivunt coram te, tibi  
gratias ago, quod hac me die & hora dignatus es,  
ut partem accipiam in numero martyrum, in  
populo Christi, ad resurrectionem vite eterne,  
anime simul & corporis, in incorruptione Spiri-  
tus S. in quibus suscipitur in conspectu tuo eo die  
in sacrificio pingui & accepto, sicuti preparasti,  
jam ante patefecisti & adimplesti, qui mentiri  
nescis Deus verax. Quapropter & de omnibus  
te laudo, te benedico, te glorifico, per eternum  
Pontificem Iesum Christum, Filium tuum dile-  
ctum, per quem tibi una cum ipso & Spiritu S.  
sit gloria nunc & in futuris seculorum seculis,  
Amen.

Quod



**Q**uod, STILLI, Aonidum latices &  
laurea Cyrrhæ

Silva Tibi pateant, quod doctas Palladis artes  
Non dubiâ teneas mente; egregium innuit,  
olim

Quod confecisti, specimen. Nunc ardua  
porrò

Divini verbi scrutans mysteria, cæca  
Insanorum hominum phantasmata rite re-  
tundis.

Perge ita; sic veniet victoria digna triumpho:  
Sic Te sublimem tua Diva locabit in astris.

*Hac paucula, gratulationis ergo, de conatibus his &  
futuris Pereximij atq; Florentissimi Dn. Iohan-  
nis Ernesti Stillen / Consobrini ac Contu-  
bernalis sui optatissimi, apponere voluit  
ut & debuit*

Christianus Güntherus Schulz  
Dargestorffo-Lunzburgicus.

borg

99 A 6986

ULB Halle 3  
002 826 542



R

Sh

VJ 17

Rehov







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

9.  
 TIO THEOLOGICA  
 XHIBENS  
 ASCHITARVM  
 N, EJUSQUE REFU-  
 TIONEM.  
 Q U A M  
 O. M. A.  
 B PRÆSIDIO  
 RDI TITII,  
 L. D. ET PROFESS. P.  
 RDINARII,  
 RI ACADEMIA JVLIA  
 XVI M. MARTII  
 VENTILANDAM PROPONIT  
 ERNESTUS *Stillen/*  
 VIO-LUNEBURGICUS  
 AUCTOR.  
 (o)  
 ELMESTADII,  
 ROGRAPHEO CALIXTINO  
 NGUS MULLERUS, Acad. typ.  
 NNO CIO 15C LXI.